







00  
Kr

2947  
Am











DISPUTATIO MEDICA  
INAVGVRALIS  
DE  
NATVRA ET DOLORE  
DENTIVM

QVAM

D. O. M. A.

IVSSV ET AVCTORITATE INCLVTI  
MEDICORVM IN ILLVSTRI ACADEMIA  
IVLIA ORDINIS  
PRÆSIDE

VIRO AMPLISSIMO ET CLARISSIMO

DN. HERMANNO CONRINGIO

PHILOS. ET MEDICINÆ DOCTORE,

Hujusque & Politices Professore publico longè celeberrimo,

Facultatis Medicæ hodie spectabili Decano, nec non Sereniss.

Brunsvicens. & Lyneburgens. Ducis atque Illustrissimi Ostfrisiæ

Principis Consiliario intimo, &c.

Dn. Patrono, Præceptore ac Fautore omni obser-  
vantia cultu venerando,

PRO SVMMIS IN ARTE MEDICA HO-

NORIBVS ET PRIVILEGIIS DOCTORA-

LIBVS IMPETRANDIS

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

IN MAGNO IVLEO

Ad diem XXX Octobris A. LXII.

PVBLICO SOLEMNIQVE EXAMINI SVBICIET

FRIDERICVS HEYE HOLSATVS.

---

HELMESTADII

Excudebat HENNINGUS MULLERUS Acad. Typogr.

CID ID C LXXII.



BIBLIOTHECA MUSEI  
HISTORICO-NATURALIS

NATURA ET DOLORE  
DEFINIVIM

V. N. M.

D. O. M. A.

WILHELMUS NEUBERGER

LEONHARDUS WILHELMUS

WILHELMUS

RESID.

WILHELMUS

EM. FERDINANDUS

THEODORUS

WILHELMUS

WILHELMUS

WILHELMUS

WILHELMUS

WILHELMUS

WILHELMUS

WILHELMUS

WILHELMUS

WILHELMUS

WILHELMUS

WILHELMUS

WILHELMUS

WILHELMUS

WILHELMUS

L 121







VIRO ILLUSTRIS ATQVE EXCEL-  
LENTISSIMO,

DN.

JOHANNI ADOLPHO

KIELMANNO, de KIELMANS.

ECKEN,

HÆREDITARIO IN SATRVPHOLM ET OBDORFF,  
ECCLESIE CATHEDRALIS HAMBVRGENSIS  
PRÆPOSITO,

SIRENISSIMI SLESVICÆ ET HOLSATIÆ  
DVICIS REGNANTIS CONSILIARIO INTIMO,  
RATIONVM CAMERALIVM PRÆSIDI,  
CANCELLARIO, ATQVE IN MORKIRCH AC  
DOLRAD PRÆFECTO, &c.

DOMINO ET PATRONO OPTIMO  
MAXIMO.



Illustris & Excellentissime

Domine, Patrone mihi

omni observantiâ vene-

)?( 2

rande.





rande. Vetus consuetudo est, ut ingenii nostri monumenta Magnorum Virorum celebratis nominibus inscribamus, iisque isthoc pacto non patrociniū tantū sed dignitatem etiam aliquam conciliemus. Nec aliis honorem istum exhibere solemus, quā illis, quorum singularem amorem nobis pollicemur, & a quorum pollente patrociniō promotionem exspectamus. Eum verō morem secuturo mihi, non diu deliberandum erat, cui Patrono tenuem hunc ingenioli mei foetum, mediocri labore in lucem editum, in publico dedicarem. Sponte enim sese mihi offerebat Illustris Tua Excelentia, quam



quam à juventute inde singulari ob-  
servantia suspexi & colui, & cujus  
cum ætate simul apud me crescit  
veneratio. Nunquam certe animo  
excidet meo, quàm sincero & con-  
stanti favore ac patrocinio, Illustris  
Tua Excellentia beatum parentem  
meum sit complexa. Et sane parens  
meus tantam benevolentiam sum-  
ma gratitudiue agnovit semper, e-  
amque mihi filio suo ita commen-  
davit, ut simul ad perpetuam tanti  
affectus memoriam, & omne stu-  
dium porro istum demerendi, seriò  
me obstrinxerit. Atque hujus pa-  
ternæ monitionis memor ego, cum  
benevolentiam, quâ Illustris Tua

):( 3

Ex-



Excellentia parentem profecuta  
est, ad me quoque hæreditate qua-  
si devenisse, luculentis indiciis per-  
spexerim, non dubitavi, occasione  
mihi oblatâ, fiduciam hanc meam  
palâm contestari. Offero itaque  
Illustri Tuæ Excellentiaë, Tuoque  
splendidissimo Nomini & Honori,  
præsentem disputationem meam  
inauguralem, dedicoque & inscri-  
bo: ea quâ par est observantiâ ro-  
gans, ut hanc submissæ meæ volun-  
tatis significationem eo animo, hoc  
est, comi & benevolo, accipere ve-  
lit, quo in summo illo dignitatis fa-  
stigio ergâ literati ordinis homines,  
maximâ cum laude suâ uti solet.  
Quod



Quod si impetravero, me quidem  
summam voti mei attigisse putabo,  
nec necessum duxero, studia mea,  
& fortunas, & promotionem, Illu-  
stri Tuæ Excellentiaë porro com-  
mendare; cum certissimus sim;  
Eam suapte bonitate plus huc col-  
laturam; quàm ego vel modeste  
petere possim, vel expectare au-  
sim. Deum Optimum Maximum  
ex animo precor, ut Illustrem Tu-  
am Magnificentiam, adjumento  
Magni Principis, bono patriæ, con-  
silio Tuo ab interitu jam resurgen-  
tis, præsidio atque ornamento Tuo-  
rum, defensionem denique meæ ac  
patrocinio, florentem diu servet,  
&





& indies magis magisque animi &  
corporis donis cumulet atque ex-  
ornet.

Ex Academia Iulia  
die xxii M. Octobris  
C19 10 C LXII.

*Illustris Tuae Excellentiae*

*humilis cultor & cliens*

FRIDERICVS HEYE  
Holsatus.





Συὶ Θεω.

THESIS I.



Dontalgiam, affectum maximè frequentem nec minus vehementem, consideraturis, de ipsorummet dentium natura necessario quædam præmittenda veniunt, tum plenioris doctrinæ gratia, tum quod præternaturalis cujuslibet partis affectio recte cognosci nequeat, naturali ejus constitutione ignorata vel in obscuro collocata.

II. Principio igitur extra omnem quidem controversiam positum censemus, dentes in partibus corporis nostri, nec infimi ordinis, esse habendos: ita tamen, utij peculiare quid, cum alijs plerisque partibus minime commune, sibi concessum obtineant. Qualia potissimum sunt, quod in recens editis nondum sint conspicui, sed cum ætate demum prorumpant: quod plane certam & determinatam magnitudinem non habeant, sed opposito elapso vel moto excrescant: quod alijs excidentibus alijs renascantur & succedant: quod denique & cum primis quidem sensu eoque exquisitissimo sint ex parte præditi.

III. Nimirum, quod ad primam istorum pertinet, aliquot mensibus posteaquam foetus in lucem jam editus est, dentes succrescere notissimum est. Ideoque si

A

quos



quos cum dentibus nasci contingit, ut plane insolitum  
 supraque naturam, ita prodigiosum quoque fuit habi-  
 tum. In quam rem adduci solent illa Plinij *lib. VII.  
 Hist. Nat. c. 16.* ita scribentis: *Quosdam & cum dentibus  
 nasci, sicut M. Curium, qui ob id dentatus cognominatus est,  
 & Cn. Papyrium Carbonem, praclaros viros. In feminis  
 ea res inaspicari fuit exempli regum temporibus. Cum ita na-  
 ta esset Valeria, exitio civitati, in quam delata esset, futu-  
 ram, responso aruspicum vaticinante; Suessam Pomeriam  
 illa tempestate florentissimam deportata est, veridico exitu  
 consecuto.* Quæ ex parte inde more suo repetiit Solinus  
*polyhist. c. 4.* Quibus ex recentiori historia addi debet  
 Richardus II Angliæ Rex, quem cum omnibus denti-  
 bus in lucem editum testatur Johannes Rossus Warvi-  
 censis. Item infans in Piceno agro cum sex dentibus e-  
 ditus, & facie insolentis plane magnitudinis. Id quod  
 inter alia prodigia mortem Johannis Corvini prænun-  
 ciantia postea fuisse relatam, commemorat Antonius  
 Bonfinius *rer. Vngar. dec. III. lib. IIX. pag. 517.* Neque  
 verò opus est peregrinis solum exemplis hanc naturæ  
 prodigiosam in producendis dentibus anticipationem  
 illustrare, cum domestica etiam nonnulla in promptu  
 sint. Et sane ut alia nunc silentij velo involvam, in  
 hac ipsa Academia non infimæ sortis fæmina pluri-  
 mis dentibus nata fuit, quæ quidem moribus illi sexui  
 plane contrariis, permultis sine dubio adhuc nota foret,  
 nisi defunctæ honori & nomini parcere pietas juberet.  
 Ut verissime scriptum sit ab Aristotele *lib. II. de gener.  
 anim. c. 6.* *Τὰ μὲν ἄλλα ζῶα ἔχοντα γίνονται ὀδόντας. ὁ δ' ἄν-  
 θρωπος δὲ, ἂν μὴ πρὸς βῆσιν ὄσσειν, σὺν ἔχων.* Cetera quidem  
 animantia dentes habentia nascuntur: homo vero, nisi quid  
 accidat præter naturam, non habens.

IV. Nec





IV. Nec tamen existimandum est, dentes tum pri-  
 mum generari, ita ut ante nihil eorum adfuerit. Hacte-  
 nus quidem vulgo non aliter fuit creditum. Nec ab  
 illa sententia alienum quoque fuisse Aristotelem, (nisi  
 forte placuerit benigniore interpretatione ipsi succur-  
 rere) patet ex eo, quando *l. c.* ita loquitur: *Τὰ ὄντα (ἀλλὰ  
 ὄντα) ἐν τῇ πρώτῃ συστάσει γίνονται πάντα, καὶ ἔθεν ὕστερον οἱ δ' ὀδόν-  
 τες ὕστερον.* *Alia quidem ossa in prima constitutione  
 gignuntur omnia, & nullum postea: dentes vero postea.  
 Nihilominus tamen exquisitior anatome postea docuit,  
 jam tum in utero prima dentium rudimenta efformari.  
 Id quod primus animadvertisse & prodidisse videtur Re-  
 aldus Columbus lib. 1. de re anatom. cap. 10; longe accu-  
 ratius tamen paulo post descripsit Gabriel Falloppius  
 in *Observation. Anatom.* Ex quibus non possumus quin  
 nonnulla, ab alijs præsertim minus explicata, propter  
 elegantiam & rei dignitatem adducamus. *Dentes hi,  
 inquit, dum nascitur puer, diversa ex materia constant: al-  
 tera ossea & dura, altera molli. Nam prior pars qua eruptu-  
 ri sunt, ossea & cava, posterior vero mollis admodum & hu-  
 mida est, atq; pellicula quadam tenui vestita videtur, quod  
 etiam in origine pennarum dum adhuc teneræ sunt apparet.  
 Quoniam pars illa, qua extra cutem prominet, cornea &  
 dura est, illa autem, qua in alis latitat mollis, humidave, &  
 ceu sanguis, vel pituita concreta apparet. Ita in his denti-  
 bus, quod primum est durum ac osseum, quod medium aut  
 ultimum later illud molle & veluti concretum pblegma ve-  
 detur. Hoc erumpentibus ipsis sensim & sensim obdurescit.  
 osseumq; fit, & intus excavatum in radices formatur. Quam-  
 obrem accidit, quod si nos elixemus calvariam nuper nati,  
 sed perfecti pueri, per cocturam dissipata parte posteriore ita  
 molli,**





molli, ea tantum, quæ ossea gingivas excessura erat, relinquatur, & pro dente agnoscat. Quod si cruda calvaria secetur, pars etiam posterior nulla difficultate poterit cognosci, quæ in vivente animali sensim & sensim obdurescit, & ossea, uti dictum est, facta spacio plurium annorum formatur. Quare accidit, ut circa septimum annum, aut paulo ultra citra evulsi dentes, aut à suppullulantibus expulsi, imperfecti, & quasi appendices quarundam radicum, quæ adhuc relictae sint, videantur. Quoniam lacerato dente, pars mollis cum pellicula ipsa relicta sit in alveolo, aut à supplantante alio, qui priorem extrudit, sit corrupta. Hæc Falloppius, quæ reliquis quoque deinceps exponendis non parium inservient.

V. Dentium verò prima rudimenta in utero boni inde porro constare videtur, quod gravidarum forti imaginatione dentium non secus atque aliarum partium structura & figura immutari possit. Dolendum equidem sed notabile hujus impressionis exemplum paucis ab hinc milliaribus in Reverendi & pij cujusdam Viri pio filio videre licet. Cujus mater cum singulari utero gentium desiderio nimis avide minusque caute dilectæ ovis os & insitorum dentium structuram rimaretur, fecit ut infantis embryonis dentes similem in modum formarentur, & infanti excluso ovini dentes postea prodirent, quod profecto probo puero & loquelæ ac masticationis difficultatem tum quoque insignem faciei deformitatem non potuit non afferre. Vivit etiamnum infelix puer, vivit Reverendus pater, vivit etiam intempestivæ curiositatis rea mater, suumque errorem non raro oborto lacrymarum imbre detestatur.

VI. Perpetuum deinde dentium incrementum, quod.



quodque sola inter reliqua omnia ossa per omnem animantis ætatem augetur, exemplo illorum qui exemptis dentibus oppositi sunt, atque eapropter mutuum tactum declinant, jam & Aristoteles *l. c.* & Galenus *lib. V. de medicam. sec. loc. c. 8.* probaverunt. Id quod & hodierno quoque usu subinde experimur. In omnibus tamen hominibus, adeoque semper, id ipsum accidere, pernegat, proprio edoctus experimento, Hofmannus *comment. de V. P. §. 787.* Et verò in omnibus edentulis & senibus id non fieri, constat. Sæpe tamen contingere, nullum est dubium.

VII. Quo & illud pertinet, an quotidie tantum dentibus per nutrimentum accedat, quantum decedit per attritionem. Subinde videlicet quid in deperditi locum reponi, videtur esse extra controversiam. Cito enim contererentur, nisi fieret quædam *ἄρτισις* & sensim aliquid repararetur. Quam causam recte dedit Aristoteles *l. c.* Æqualem tamen restitutionem diminutioni esse idem quoque negat: quum plus indies absumatur quam addatur. Id quod in senibus quoque maxime licet observare, utpote quibus cum ætate ita lævigantur, ut ad officium faciendum demum reddantur inidonei. Nec in homine tantum sed brutis quoque. Id quod maxime etiam dubium reddit, an exterior pars, præsertim mensa Ruffi quam vocant, regeneretur, etiamsi reliqua capiat restaurationem, Quibus proinde argumentis contrariam nonnullorum opinionem impugnat doctissimus Hofmannus tum *l. c. §. eod. & seq.* tum *lib. II. inst. c. 92. §. 11.* Ubi postremo in testimonium quoque adducit verba Ecclesiastæ *XII, 3.* quando inter alia senectutis incommoda etiam hoc recensetur,



tur, quod molitores sive ( ut est in Hebræo ) *molitrices* nolint amplius molere seu cessent.

IIX. Notandum vero, isthunc sacri scriptoris locum non eodem modo ab interpretibus veteribus pariter & recentioribus reddi: idque sine dubio ob raritatem vocis מֹלֵטִים; quam in divinis scripturis semel tantum reperiri, Elias Levita in פְּשׁוּטָה p. 26., & Försterus in *dictionary* annotaverunt. Quidam enim de dentium numero imminuto verbum illud acceperunt. Quod fecerunt LXX interpretes, ita reddentes: καὶ ἤεργησαν αἱ ἀλήθῃσιν, ὅτι ὀλιγόησαν. Eodem modo Vulgata Latina vetus versio: *Et ociosa erunt molentes imminuto numero.* Quo sensu quoque id accepit B. Lutherus. At vero alij de officij diminutione intellexerunt. Ideoque R. Elias l. c. ita exponit: *Et inutiles facti & fuerint molentes.* Et Mercerus: *Quia diminuunt; item: Quod imminui sunt.* מֹלֵטִים Hebræi tamen transitivum esse volunt, quod imminuerint scilicet molitionem suam. Pauciores sunt dentibus senes, ferè edentuli: & qui super sunt, minus molunt solito. Hinc in nova quoque versione Leonis Judæ, quæ cum Vatabli annotationibus prodiit, redditur: *Et desinent molentes, ut parum molant.* Junius ad eundem locum ita commentatur: *Dentes illi tui, quibus strenue comminuis cibum, hebetabuntur; ita ut subinde recurrentibus doloribus cogaris agere & lente mandere.* Quibuscum etiam facit Cl. Dilherrus, dum tomo 1. *disput. philolog. 22. p. 739.* eundem locum cum R. David & R. Abraham ita exponit: *Non poterunt dentes contundere & comminuerere cibum.* Et p. 744. in Paraphrasi: *Dentes molares agent ferias, quod comminuerere cibum nequeant.* Id quod per occasionem visum fuit monere.

IX. Af-



IX. Affinis autem huic quæstioni quodammodo, est & *tertia*, circa exortum & renascentiam dentium occupata. Quam & ipsam ut eo clarius possimus explicare, distinctim de omnibus huc pertinentibus fuerit agendum. Et primo quidem tempus quo dentes generantur generantim consideratum, duplex à Falloppio *l. c.* recte constituitur: alterum videlicet in utero post malarum generationem; alterum, postquam in mundum venerit foetus, ante septimum annum. Quæ quidem cum nemini non sint notissima, non etiam est quod ijs immoremur. Excipiuntur tamen hinc postremimalores, *neguntines* & genuini vocati: utpote qui juxta Falloppium circa tertium annorum septimanam, & ulterius etiam ad decimam usque, exoriuntur. Id quod jam Aristoteli quoque fuisse observatum, constat ex *lib. 11. hist. animal. c. 4.* ubi mulieribus quibusdam, ut & viris octuagenariis, illos adhuc fuisse natos refert. *Walaëus* autem octuagesimo tertio ætatis anno illos demum provenisse observavit, annotante *Bartholino Anaz. refer. libel. de osib. c. 13.*

X. Imo & alios quoque dentes præter istos senibus fuisse renatos legimus. *Zanclæ Samothraceno* post centum & quatuor annos fuisse dentes renatos, *Mutianus* apud *Plinium lib. XI. c. 37.* prodidit. Notatu vero cum primis dignum est exemplum de *Priorissa* quadam, cui ut reliquis universi corporis habitus in juvenilem renovatus fuit, ita dentes quoque molares, qui prius fere omnes exciderant, non secus atque infantibus fuerunt rursus exorti: quod annotavit *Valescus Tarrantanus lib. VI. philonij c. 12.* In centenario dentes renatos memorat *Thuanus.* Quod ex eo repetit, additis

tum



rum proprijs tum ex Helmontio & Verulamio desumptis  
similibus observationibus alijs, Cl. Bartholinus *l. cit. c. 12.*  
Meretur autem in primis notari, quod in quadam Daniæ  
insula Fionia dicta, seni centum quadraginta anno-  
rum dentes renatos fuisse, ibidem affirmat. Similem  
historiam ex Silesia ad sese perscriptam de matrona qua-  
dam, cui sexagesimo quarto ætatis anno, omnibus den-  
tibus ab ortu primum amissis, viginti dentes fuerunt  
protrusi, refert Sennertus *l. 11. pract. part. 1. c. 10.* Ita  
etiam Michaeli de Romagnano post nonagesimum an-  
num omnes dentes repullulasse, annotavit Nevizanus  
in *Sylv. nupr. lib. V. num. 19.* Memini etiam ante decem  
septimanas Viro sexagenario doctrinâ & experientia ex-  
cellentissimo, primario hujus Academiæ membro, den-  
tem maxillarem fuisse renatum: uti quidem ipse, cor-  
poris sanitate & robore nulli secundus præsentibus vi-  
ris quibusdam magnis, mihi ante paucos dies retulit.  
Quantumvis autem isthoc interdum contingat, oppidò  
tamen rarum est, nec cum genuinorum scrotina erupti-  
one potest venire in contentionem.

XI. Materia deinde dentium triplex statuitur ab  
autore *lib. de Carnibus* pro triplici tempore illorum ge-  
nerationis. Primos enim nasci (*ἀπὸ τῆς Μητρὸς*) ex victu  
in utero, secundos ex lacte, tertios ex cibo & potu. Ita  
tamen, ut proximam illorum generationem fieri cen-  
seat *ἐκ τῆς κολλώδους τῆς λιπαρῆς*, ex glutinosa pingui, quod  
inest ossibus capitis & maxillis. Quam sententiam  
vulgo plerique solent amplecti: nisi quod primam eo-  
rum delineationem ex semine potius fieri nonnulli sen-  
tiant. In quibus etiam est Laurentius *lib. 11. hist. ana-  
tom. quest. 13.*

XII. Quic-



XII. Quicquid autem sit de illa sententia, non in-  
commode duplex dentium materia constituitur; altera  
remota, altera proxima. Et remotam quidem nihil  
aliud esse quam sanguinem, omni caret dubitatione.  
Ex semine masculino quidem dentes nasci omnino ne-  
gamus, certi illud nulli parti in materiam cedere, sed  
utero exceptum *ἐκ τῆς μήτρας*, prout jam olim scripsit A-  
ristoteles, & egregijs experimentis confirmavit Gui-  
lielmus Harveus *l. de generatione animalium. exercit. 68. &*  
*sequens*. De foeminino semine res saltim incerta est. Id  
certum, ne illud quidem unicam esse dentium materiam.  
Id quod eo probari potest, quod prioribus dentibus  
excidentibus plane novi regenerentur, immo plures e-  
tiam quandoque suberescant; tum quod reliquis partibus  
jam conformatis & figuratis dentes diu post, septimo vi-  
delicet & octavo demum mense, in alveolis suis reperi-  
antur; ceu Columbus observavit. Proxima vero illo-  
rum materia jure vocatur mollis & alba illa pars quæ  
in alveolis delitescit. Id quod unicus Falloppius præ  
omnibus alijs clarissime persecutus est: ceu ex illis, quæ  
partim jam adduximus, partim paulo post subjungemus,  
luculenter patet. Cuivis etiam id manifesto deprehen-  
dere licet in genuino juniorum animalium, vitulorum  
cum prunis: ut quorum conclusa illa alba pars in delicijs  
nobis esse solet, à qua lactea substantia denti illi nomen  
quoque vulgo apud nos fuit inditum.

XIII. Ex quibus jam porro elucescit, omnes den-  
tes post genitos non inniti priorum radicibus, adeoque  
nullas etiam ipsis inesse appendices. Docuit quidem id  
quoque incomparabilis Vesalius *lib. 1. de hum corp fabr. c. 11.*  
propterea radicum accuratam habendam rationem mo-

B,

nens;



nens: id quod itidem factum est à Columbo. At vero aliter rem se habere, ostendit Falloppius. Cujus sententiam quoque plane postmodum approbavit ipsemet Vesalius in *Exam. observat. Falloppii*.

XIV. Insuper in dentium quavis generatione & eruptione, peculiarem & propriam quandam vim facultatis vegetatricis sese prodere, minime potest esse obscurum. Unde est omnis illa varietas quæ circa dentium exortum contingit. Nec aliò referri potest dentium in mortuo infante protrusio: quale exemplum annotavit Salmuthus *cent. III. observat. 37*. Videtur etiam ejusmodi facultatem ipsis maxillis non immerito attribuere Falloppius. A qua porro etiam est illorum prolongatio & excretio. Perinde ut pilis quoque & unguibus cornibusque talis vis omnino inest.

XV. Quo cum primis quoque referri debet ipse modus eorum generationis. Quem quum unus Falloppius clare exposuerit, operæ quoque fuerit pretium ejus verba hic repetere. *In ipsis autem, inquit, generationis modum hunc observavi. A vivifica facultate agente spiritu (ut opinor) excavatur os, simulq; gignitur folliculus membraneus, qui genuinum apicem possidet, alterum posteriorem, cui nervulus, & arteriola, & venula applicantur; alterum vero priorem, à quo veluti cauda quadam pendet nervea, qua per foramen ossis angustissimum ad latus illius dentis, cui nervus successurus est, usq; ad gingivas egreditur. In hoc folliculo concrescit materia quadam alba, tenaxque & tandem dens ipse in priori tantum parte osseus, & in posteriori ex materia dicta constans; quod etiam in iis, qui utero geniti sunt, accidit. Erumpit autem unusquisque dens per id foramen dilatatum, per quod antea angustissimum existens*



*existens transmittatur folliculi cauda à me dicta: atque folliculus dirumpitur, & dens nudus durusq; extat, temporisq; successu in partibus posterioribus perficitur, &c.* Hæc iterum Fallopius: quæ non possunt non universum hoc negotium miris modis illustrare.

XVI. Quî vero fiat, quod primi dentes citò iterum excidant, causam in lactis usum & hinc præproperam illorum eruptionem, retulit olim Democritus: eo nomine tamen jam tum refutatus ab Aristotele *lib. V. de Generat. animal. c. ult.* Qui proinde tum notæ melioris gratia, quod primis propter acutiem cito hebetescentibus alij iique latiores succedere debeant: tum necessario, quod primorum radices tenues sint, maxilla ipsa nondum satis lata & capaci, id fieri potius censet. Quibus cur refragemur, nihil suppetit.

XVII. Sequitur *quarto* sensus dentium. De quo statim quæritur, integrone an quoad radices tantum is ipsi competat. Et universum quidem dentem non sentire, eo quod prominentiores dentes aliquando per limulam deterere queamus, jam olim nonnulli apud Galenum *l. c.* voluerunt probare: immo quod secari, æquare, decurtari, candentibus ferris uri, citra doloris sensum possint, recentiores probare solent. Quibus proinde contrariam sententiam Hofmannus quoque impugnat in *Institur. l. c. §. 12*, adducto exemplo Professoris cujusdam Jenensis, qui à chirurgo curaverit sibi radi diversi-mode dentes, ut aptior esset pronuntiandis literis quibusdam Hebraicis.

XIIX. Verum an simpliciter omnis sensus propterea statim dentibus sit denegandus, non parùm est ambiguum. Licet enim solutionem continui sustinere



citra molestiam possint, non tamen similiter alijs injurijs ferendis sunt pares. Notum quippe est, quantopere ab austeris & acidis affici soleant. Item à frigore & glacie. Ne nunc alia adducamus, vel illa quæ Galenus *l. c.* semet ipsum sensisse refert. Ideoque potius illis fuerit accedendum, qui exteriorem quidem dentis partem obtusius, interiorem vero exquisitius sentire censent. Quibus cum etiam facit Laurentius *lib. cit. qu. 12.*

XIX. Cur autem in gingivis recondita dentis pars exquisito adeo polleat sensu, de eo inter omnes non convenit. Etenim plerique ad nervulum tanquam sensus tactus unicum instrumentum confugiunt. At rectius Fallopius, *membranam tenuissimam exactissimoque sensu præditam, qua cavitas dentis linitur, in causa esse censet, ut dentes sentire videantur.* Quamvis enim non desint, qui membranam istam ex arteriola, venula, & nervulo simul mistis conflari asserant, & ad radices dentium vasa isthæc pervenire, non sit negandum: qua ratione tamen vasorum ita tenuium mixtio perspicui possit, sese non assequi, meritò reponit idem Fallopius. In cuius sententiam non potest quoque non concedere Cl. Hofmannus *comment. de Usu Part. §. 796.* Quam etiam amplectitur doctissimus Sebizius *disput. 11. de dentibus ab. 69.* Highmorus *Corpor. hum. disquis. anat. in anacephal. p. 260. alij.* A qua nec alienus esse potest Sennertus, utpote qui membranas verum, proximum imò adæquatum organum tactus esse, & omnes partes, ipsosmet etiam nervos, illarum beneficio sentire, diserte fatetur *lib. 1. Institutus. cap. 12.*

XX. ET HÆC quidem sunt quæ dentibus seorsim præ alijs ossibus, immo plerisque omnibus partibus, ob-  
tigerunt,



tigerunt. Addendum nunc aliquid est etiam de reli-  
quis, ad naturam eorum pertinentibus. Ubi *quinto* se-  
se offerunt alveoli, quibus instar clavorum infixi sunt  
dentes. Et eos quidem in maxillis excavari, dentibus  
item excidentibus oppleri & obliterari, exorientibus  
vero novos semper reformari, constat. Id quod primus  
omnium clarissime observavit Fallopius. Similiter *sexto*  
notum est, molares dentes esse insigniter cavos, etiam  
parte extra gingivas prominente; unde & erosionibus &  
fracturis maxime sunt obnoxij: quum incisoriij, radice  
excepta, sint solidi. Id quod procul dubio propterea  
ita factum fuit, quod ad incisionem majus robur requira-  
tur. Vnde *septimo* iidem anteriores sunt acuti, maxillari-  
bus latis existentibus.

XXI. Sequitur *octavo* numerus dentium, licet in  
omnibus non plane idem. Quo ipso quoque compre-  
henditur, ut non coaluerint, sed inter sese sint distincti.  
Quod si igitur plurium dentium loco unus continuus re-  
periatur, plane est insolens quid. Id quod Prusiae regis  
Bithyniorum filio contigisse, memorat Valerius Maxi-  
mus *lib. 1. c. ult.* Plinius *lib. VII. c. 16.* ejusque imitator  
Solinus *l. c.* Similiter de Pyrrho rege scribit Plutarchus  
in *vita*, quod unicum atque integrum os plurimis line-  
olis dentium instar distinctum habuerit. Ita etiam in  
aula Ernesti Ducis Luneburgici virgo nobilis prosapiae,  
continuo osse dentium & eximia virtute conspicua fuit,  
ut refert Philippus Melanchthon *libello de anima*. Idem  
nuperrime in Groenlando quodam se observasse, testatur  
Bartholinus tum *Anat. reform. l. de off. c. 12.* tum *cent. 7.  
histor. 35.*

XXII. Quibus *nono* addendum, quod dentes licet

B 3

maxil-



maxillis impacti sint, ijs tamen neutiquam debeant ad-  
nasci & cum ijs quasi concrefcere. Id quod tamen &  
ipsum aliquando contingit, unde periculosa eorum  
evulfio. Cujusmodi exempla suppeditant Columbus  
*lib. XV. Hollerius Observat. 31. Bartholinus cent. V. hist. 54.*  
alii. Quo ex parte etiam pertinet historia de generosa  
quadam foemina ab Highmoro annotata *lib. III. disquis.*  
*anat. p. 2. c. 1.*

XXIII. *Decimo* sese ordo offert: geminus videlicet,  
utrique maxillæ unus. Nec heic tamen eundem semper  
observat natura. Quandoque enim duplex, triplex, im-  
mo quintuplex observatus fuit. Quod exempla docent à  
Valerio Maximo *lib. 1. c. ult.* de Dripetine Mithridatis  
regis filia, Columbo *lib. 1. c. 10.* de Phœbo puero suo,  
Schcnckio *lib. 1. observ.* Bartholino tum in *anat. reform.*  
*l. c.* tum in *hist. l. c.* & qui eum more suo transcripsit  
Gerardo Blasio *comment. ad synt. anat. Veslingii*, & alijs,  
annotata. Quo referri quoquo debet, si unus & alter  
geminus nascatur. Quomodo anteriores duos gemi-  
nos in maxilla inferiore in quodam Theologiae Docto-  
re observavit Bauhinus *lib. III. theat. anat. c. 73.* Simile  
quid in incisoribus tam inferioris quam superioris ma-  
xillæ, virginis cujusdam eximie alias pulchritudinis, mi-  
hi animadvertere contigit. Qui naturæ error, licet  
facile, quo minus pulchritudini obsit, alijs dotibus ob-  
tegatur, interim tamen non potest non lingua sæpius  
illis allidi, cum unus ordo labia, alter fauces æquali nu-  
mero respiciat. Primo sinistro superiori maxillari alte-  
rum superius imminentem & è gingivis prodeuntem, in  
puella quadam tenera his ipsis diebus mihi monstravit  
clariss. Voglerus.

XXIV. Fir-



XXIV. Firmantur *undecimo* dentes in alveolis suis eo maxime, quod radici exacte respondeat alveoli capacitas. Ligamentis tamen quoque quibusdam iisque fortibus, eos præsepibus suis alligari, Galenus docuit *lib. 11. de V. P. c. 8.* Quibus laxatis eos vacillare & tandem excidere, necessum est. Videntur etiam huc non nihil conferre gingivæ: utpote quæ ita sint conditæ, ut dentes singulos ambient & cingant. Ubi non possumus non meminisse notatu digni & exemplo fortasse carentis dentium casus, quem Æneas Sylvius *hist. Bohem. c. 44.* his verbis describit: *Pragensibus in hujus adventu (Sigismundi Coributi) munitissimum castellum in monte situm oppugnare placuit, quod lapidem Caroli vocant. Hic Sigismundus IV centurias militum presidio liquerat. Castra tribus locis posita sunt, obsidio sex ducta mensibus: neque die neque noctu omissa oppugnatio: quinque balistæ majores ingentia saxa per omnes horas intra mœnia jactaverunt vasa circiter duo millia cadaveribus & humano excremento plena in omnes emissa, tantum miseris obsessis fœtorem attulere, ut omnibus infectis dentes aut deciderent, aut nutarent. Toleraverunt tamen forti animo, & in hyemem usque protraxere certamen: accepto clam ex Praga medicamento quo dentes contineri possent.* Hæc Sylvius.

XXV. Usus *duodecimo* dentium notissimus est: isque non unicus. Etenim primario quidem solidiorum ciborum conficiendorum gratia illos esse datos, non est dubitandum. At vero alium insuper eumque non minus insignem in homine illos præbere usum, neminem potest fugere. Inserviunt videlicet voci articulatae & loquutioni. Addit præterea Paræus *lib. V. c. 2.* eos cum lingua de saporibus judicare, & propterea tam  
acri



acri sensu esse donatos. Sed hoc quidem in medio re-  
linquimus, præsertim quum ratiocinatio ista justo ro-  
bore plane destituatur. Ne dicamus, quod tum exte-  
riori potius quam interiori dentis parti exquisitus sen-  
sus competeret, utpote quam sapidæ res maxime con-  
tingunt.

XXVI. Quibus *tertio decimo* cum primis addi me-  
retur, impenus illorum in vivo quidem corpore calor.  
Nec enim est quod cum vulgo dentes ad frigidas partes  
referamus. Quamvis enim perfrigidi esse dicantur Ari-  
stoteli *sect. XXXIV. probl. 3*: tales tamen respectu carnis  
pronunciantur, quodque sint partes exsanguis. Alias  
autem potius calidi sunt vocandi. Autor sane *lib. de  
carnib.* nihil frigidi eis inesse inde colligit, quod à calido  
pingue maxillarum exsiccante & exurente dentes fiant  
reliquis ossibus duriores. Sine dubio verò intense adeo  
calent à sanguine radices illorum perpetuo subeunte.  
Ideoque cum corpora sint dura & solida, calor ubi in eos  
penetravit validior redditur. Non secus videlicet ac la-  
pides, lateres, & metalla, ubi semel ignem conceperunt,  
& vehementius excalfaciunt, & diutius retinent calo-  
rem, quam liquidum aliquod corpus & humor. Non  
possumus etiam quin hoc loco verbo attingamus: non-  
nullos, quoties dentes suos vel ferro, vel lapide, aut ligno  
etiam percutiunt, scintillas, ex iisdem haud secus quam  
ex præduro silice elicere posse. Ita ditissimum merca-  
torem Amstelodamensem ligno scintillas è dentibus pro-  
vocasse, refert Bartholinus *cent. II. hist. 24.*

XXVII. Hinc etiam est, quare morsus tum alio-  
rum animalium, tum hominis tantam habeat maligni-  
tatem. Quo unice pertinet quod apud Plinium *lib. IX.*



c. 37. legitur, *hominum dentibus quoddam inesse virus.* Id quod in meo ipsomet fratre, exemplo quod hic subijciam, aliquando sum expertus. Gymnasium elegantioris literaturæ in cœnobio Bordesholmensi, in Holsatiâ nostra est, à Serenissimo gloriosæ memoriæ Duce FRIDERICO, cujus à clementiâ & paternâ in subditos bonitate.

*Gloria ad Herculeas celebrabitur usq; columnas,*  
regijs sumptibus sustentatum, nuper verò, ut intelligo, à Celsissimo & tanto Parente dignissimo Filio successore, Duce CHRISTIANO ALBERTO, Domino meo Clementissimo, revocatis doctissimis præceptoribus, iisque decretis honestis stipendiis, victu item & vestitu pro discentibus constituto, excitatum denuò, & in vitam quasi revocatum. In eo cum ego liberalitate Maximi Principis Ducis FRIDERICI per sexennium agerem contigit ut fratri pollex dextræ manus à rixoso juvene ad-morderetur, qui profecto morsus tantam malignitatem parti vulneratæ inferebat, ut non solum pollex in tumorem attolleretur, verum etiam putredine contractâ, foetorem ipsi admorso vix tolerabilem exhalaret, atque ægrè à peritissimo quamvis Neomonasteriensi chirurgo intra bin. estre persanaretur, & deinceps etiam in ipso digito novus unguis (prior enim putredine excussus erat) renueret renasci. Simile etiam quid accidit duobus fratribus nobili stemmate natis, quorum alteri digitus in ferventerixa admorsus, vix præstantissimis adhibitis medicamentis potuit servari. Posset sane hæc res multis alijs & à præclarissimis Medicorum annotatis exemplis, magis illustrari, nisi ipsa per se satis nota, & quotidiano usu comprobata videretur.

C

XXIIX. Præ.





XXIIIX. Præter hæc autem *postremo* nonnulla circa dentes observata sunt, plane à natura abeuntia. Quale est, quod in palato homini aliquando dens sit genitus: quod apud Plinium legitur *lib. XI. c. 37.* & Schenckium, qui in compatre suo idem observavit, *lib. I. obs. de Dentibus,* & Eustachium *lib. de Dentibus c. 29.* Item, quod dens genuinus, qui prius se ostenderat, rursus se subduxerit; ceu Bartholinus annotavit *cent. IV. hist. 65.* Sed hoc quidem nihil arguit insolitum. Notum quippe est, gingivas sæpe humore luxuriante excrescere. Quod dum fit, facile dentes illi, alias jam tum minus reliquis prominentes, contegi possunt; eaque de causa idem alijs quoque contigit, mihi que adeo ipsi. At magis admiratione dignum est, quod idem vir Clarissimus *ibid.* refert, se duas matronas honestissimas nosse, quæ toties dentem exspuant, quoties liberos pariunt. Quod si fabularum etiam ratio habenda foret, huc cum primis referendus esset aureus ille dens pueri Silesiaci, qui superiori seculo bene multos, etiam doctos & præclaros viros, interque eos ipsummet quoque illustrem Thuanum *Histor. sui temporis lib. CIV. sub finem* in sui admirationem excitavit, nonnullos etiam propemodum dementavit, donec turpis impostura tandem detegeretur. De quo præter alios legi possunt quæ Duncanus Liddelius *tractatu de dente aureo* & Sennertus *lib. II. pract. p. I. c. 15.* recitant. Nec melioris notæ fuit ferreus dens viri Patavini, qui & ipse nonnullos ridicule fecit hallucinari, ceu videtur esse apud Bartholinum *cent. II. hist. 24.*

XXIX. IIS IGITUR quæ ad naturam dentium pertinent ita consideratis, ad affectus præter naturam ipsis accidentes jam progredimur. E quibus tamen non nisi





nisi dolorem nunc selegimus, quod ille præ reliquis omnibus sit frequentissimus, & maxime diffusus, præterea & curationem cum primis exposcat, moræ minime omnium patiens.

XXX. Quo verò hoc ipso in negotio distinctim progrediamur, notare convenit *primo*, discrimen aliquod esse doloris quoad ipsum locum proprie affectum. Velenim dolor est in parte externa tantum, ceu contingit in hæmodia: vel circa radicem & in ea parte quæ gingivis est intecta, quod accidit à plurimis causis paulo post exponendis: vel universum dentem occupat, ab iisdem causis: vel maxillam maxime molestat, ut in dentitione: vel gingivas, ab affluxu humorum aut intemperie: vel omnes has partes simul: vel denique aut unum dentem affligit, aut complures. Quæ pleraque omnia Galenus *l. c.* complexus est, & ab unoquoque facile possunt dignosci, ut non sit opus certa & unicuique horum speciei propria signa commemorare: quum dolor horum omnium certissimus sit index.

XXXI. *Deinde* modus quoque doloris non semper est idem. Alius enim dolor est obtusus, alius pungitivus: alius tolerabilis, alius exquisitissimus. Unde *dentium dolorem maximis tormentis annumerari posse*, Celsus *lib. VI. cap. 9.* affirmat. *Novi quosdam*, (inquit Salmuthus *cent. III. obs. 32.*) *præ assiduâ ejusmodi dolorum vehementiâ pene exanimatos, immo alios ad insaniam fere redactos fuisse.* Quale exemplum quoque de muliere Alcmariana refert Forestus *lib. XIV. observat. 3.* Prout videlicet pars majori minorive sensu fuerit prædita, & causa morbifica magis minusve fuerit vehemens.

XXXII. Circa tempus *tertio* & durationem doloris



ris illius magna est diversitas. Nunc enim brevis ille est: nunc diuturnus & pertinax. Quidam præterea semel fugatus cedit: quidam certis intervallis recrudescit & est quasi periodicus. Quæ omnia cum quotidiano usu sint compertissima, nihil attinet exemplis ire illustratum. Vnius duntaxat, ejusque ut singularis ita commiseratione digni, non possumus non meminisse, quod de J. Bap. Mazzolario Columbus *l. c.* adducit; eum videlicet à septimo ætatis suæ anno ad vigesimum sextum usque dentium dolore adeo graviter laborasse, ut cum frustra reliqua medicamenta adhibuisset, ad ignem sæpe confugere sit coactus.

XXXIII. ORIUNTUR autem porro omnis generis hi dolores à non una causa. Ubi primo statim occurrit frigidum, sive aër sive alia quæpiam res, eaque vel actu, vel potentia talis. Unde jam olim Hippocrates *V. aphor. 18.* tum alijs partibus, tum ossibus generatim τὸ ψυχρὸν πολέμιον esse annotavit. Quamvis enim ejus loci commentatores non usquequaque inter sese conveniant, dum alius hoc, alius illud frigidum intelligit: cum tamen ab omnibus, & quidem immoderate frigidis, cujuscunque ea demum sint generis, dentium dolorem produci constet; non etiam est, quod alio sensu istum aphorismum accipiamus. Cum primis autem id fieri solet tempore & aëre frigido; præcipue vero hieme, & flante borea. Quale exemplum in sua famula observavit Forestus *lib. XIV. observat. 5. in scholio*, & aliud de alimentis algidis *observat. 10.*

XXXIV. Nec frigidum duntaxat dentibus inimicum est, sed *secundo* calidum quoque, quamvis minus frequenter. Potissimum vero id observatur in illis, quibus



quibus ubi luculento igni diutius adstiterint, aut calidos vapores capite confertim exceperint, protinus odontalgia exacerbatur. Id quod sæpius foeminis etiam accidere solet lintea ad usum mundantibus & parantibus.

XXXV. *Tertio* austera & acida peculiariter producunt hæmodiam, quam stuporem vulgo nuncupant: minus tamen bene, cum propria quædam & quoad exteriores dentium partes odontalgias species sit, quod recte quoque cum Capivaccio censet Sennertus *lib. 11. pract. p. 1. c. 12.* Id quod à talibus fructibus subinde solemus experiri. Idem quoque contingit à vomitu humorum per corruptionem in ventriculo ejusmodi saporem adeptorum. Quod malum frequenter & sæpissime patritius quidam Delphensis passus est apud Forestum *observat. 9. l. c.*

XXXVI. Referendi huc porro sunt cibi nonnulli, duos dentibus nocere experientia constat. In quibus Oribasius *lib. V. synopsis. c. 25.* recenset ficus siccas, mel cotum, palmulas. Quamvis enim alijs quoque modis quam dolorem inferendo dentibus hi possint esse incommodi: nihilominus tamen & hujus eos esse causas liquet. Id quod de ipso quoque saccharo simul fuerit intelligendum, de uvis item passis, immo omnibus dulcibus. *Nihil enim aque dentes offendit nisi saccharum & quæcunque dulcia sunt, cum & eosdem corrumpant: verissima verba sunt Foresti observ. 3. l. c.* Quo cum primis pertinet exemplum quod Henricus ab Heer annotavit *observ. ulz. hist. ulz.* Hac igitur de causa ficus imprudenter ab avara quadam muliere adhibitos dentium dolorem magis auxisse, recte conjetat Forestus *l. c.* Nec tantum





dulcia sed gravi quoque sapore prædita dentibus inimica sunt: præcipue vero porrum & raphanus: quæ proinde odontalgia laborantibus aut in eam pronis cavenda esse jubentur.

XXXVII. Medicamenta quoque *quinto* ore masticata idem quandoque efficiunt. Quomodo nobilis puella apud eundem Forestum *l.c.* dentium dolore laborans, ex pyrethri masticatione magis afflictæ est, oborto etiam tumore deglutitionem impediente. Plurimum quoque sine dubio immanem odontalgiam fovit & auxit aquæ fortis usus Canonissa quadam, cujus miserrima valetudo describitur apud Guilhelmum Fabricium Hildanum *cent. IV. observ. 21.*

XXXIX. Sæpissime *sexto* ab humoribus tam intra quam extra vasa ad dentes delatis dolores oboriuntur. Quæ omnia licet usu sint compertissima, non incommodum tamen fuerit quibusdam exemplis illustrare. Agamus autem primùm de calidis humoribus. Et istius quidem motus qui fit per ipsa vasa sufficiat nunc exemplum adducere quod Thonerus *lib. II. observ. de dol. dent. observ. 2. p. 113.* annotavit in virgine quadam plebeja, tam sævo dentium dolore exagitata, ut pene ad desperationem deveniret. Observavit videlicet cruciatum illum concitatum à sanguine fervido per arterias temporales descendere. Quamvis vero per illas quidem arterias id fieri non possit potueritve, obstante nimirum motu sanguinis circulari; sufficit tamen per alias id ipsum esse factas, videlicet per carotidas, utpote à quibus dentes suas arteriolas consequi exquisitor anatome docuit. Proculdubio autem tales defluxiones extra vasa potius fieri dicendum est, cum illæ  
quæ



quæ intra vasa peraguntur sensu non soleant percipi, ceu post rursus monebitur. Quo ipso simul falsi convincitur vulgaris hæctenusque in scholis recepta opinio, affluxum illum per omnia vasorum genera, hoc est, arterias, venas & nervos institui. Ne de nervis seorsim nunc quid moneamus, utpote per quos nullum ejusmodi humorem deferri, certo constet.

XXXIX. Potest autem talis dolor oriri etiam ex nimia sanguinis, calidioris cum primis, redundantia. Quo maxime pertinet illud Guarinonij *consil. 419.* ita scribentis: *At non solum recrementa perveniencia ad dentes dolorem faciunt, sed etiam, ut quidam volunt, cum dolentes nimium alimentum accipiunt &c. Unde is dolor ex nimio alimento domesticus est juvenibus.* Qua eadem quoque de causa foeminas gravidas, aut alias mensium obstructione laborantes, odontalgia sæpe affligi, à doctoribus meis accepi.

XL. Ab humore acri, tenui & calido, in vehementi capitis intemperie, ad dentes propulso, dolores eorum, ita ut eximi viderentur, percepit nobilissimus eques apud Trincavellium *lib. 1. cons. 1.* A fero & insolenti catarrho intolerabilem odontalgiam passa fuit Canonissa illa apud Hildanum, cujus modo meminimus. Quinimo plerisque tales dolores ex acri sanguine aut de stillatione calida proficisci, usu artis edoctus affirmat Oethæus apud Schenckium *lib. 1. observat. p. 218. ed. tert.* Acris quoque est humor scorbuticus, & ipse quoque odontalgias non raro causa. A quo dentium dolorem, ita ut ipsi multum solito longiores esse ab ægrota putarentur, observavit aliquando cl. Voglerus.

XLI. Ad calidos quoque humores quam maxime per-



ne pertinet inflammatio, non ipsorummet dentium, de qua post, sed vicinarum partium ad hanc rem magis aptarum, cum primis autem gingivarum. De qua re insignem suppeditat historiam Forestus *observat. s. l. c.* de sene quodam juvenulæ desponsato, qui ut sponsæ suæ esset gratior, vacillantes dentes filo aureo ab aurifice quodam sibi curarat adalligari, sed infelici admodum eventu.

XLII. Nec tamen semper à calidis defluxionibus dolores isti producuntur, sed frigidis quoque: in senibus præsertim & pituitosis corporibus. Quo etiam pertinet ipsa dulcis vel insipida pituita. Cujus præter quotidiana experimenta exemplum legitur apud Platerum *lib. 11. observat. p. 376.* Nec alio referri potest tenuis & aquosus sanguis, qui juxta cum alijs symptomatibus dentium quoque dolorem produxit in cachectico quodam Principe apud Scholzium *consil. 111.* Item liquor croci flavedinem referens in Heurnio, quod ipsemet narrat *lib. 1. Meth. ad prax. p. 109. edit. 2.*

XLIII. Sed & septimo flatus quoque hic esse in causa, non videtur negandum. Cratoni certe id quam maxime visum, qui ad duas causas omnem illum dolorem redegit, apud Scholzium *consil. 75.* ita scribens: *Dolent dentes, vel propter flatulendum spiritum, inclusum ad radices eorum, aut propter calidorum humorum affluxum &c.* Nisi forte ad ægrotum, cuius valetudini ibi consulit, hæc duntaxat restringenda esse putaveris.

XLIV. A vermibus octavo malum illud sæpe produci, notissimum est. Et infestant illi nunc unum, nunc plures dentes: suntque nunc majores, nunc minores. Apud Salmuthum *cent. 111. observ. 32.* describitur

tur



tur historia odontalgias excitatæ à verme sesqui articu-  
lum longo. Minutorum & tenuius filum crassitiere-  
ferentium, universosque fere dentes vexantium, ingen-  
tem multitudinem hyoscyami fumo aliquoties provo-  
catam, in matrona quadam cachectica, à cl. Voglero ac-  
cepi. Quamvis non desint qui ipsum fumum illum cen-  
seant in verminosum quid mutari.

XLV. *Nono* etiam inflammationem inter causas  
odontalgias nonnulli recensent. Paræus sane *lib. XVI.*  
*c. 25.* ita disertis verbis scribit: *Sape reliquorum osium*  
*more, inflammationem quæ mox suppuret concipiunt, ac pu-*  
*verent, tandemq; frustatim excidunt &c.* Verum an ossa  
ipsique adeo dentes vere inflammari possint, non imme-  
rito quis dubitaverit. Neque corrosionem aut etiam  
putrefactionem necessario antecedere debet inflam-  
matio. Fortassis igitur non tam de ipsa dura & ossea  
dentis parte, quam radice aut etiam proximis partibus  
illud potius fuerit accipiendum.

XLVI. Suppurationem *decimo* hic locum inve-  
nire, jam diximus: humoribus videlicet ad radicem &  
in ipsa quoque cavitate stabulantibus. Cujus admo-  
dum insigne exemplum in virgine quadam, virtutum  
nitore emicante, notavit Ampliss. Tappius. Quum e-  
nim dolor nullis alijs mitigari posset, & eapropter tan-  
dem ad extractionem dentis deveniri debuisset, ingens  
copia purulenti humoris fuit effusa, simulque cum tu-  
more etiam dolor resedit. Cujusmodi quid etiam pridem  
in muliere quadam deprehendit clariss. Voglerus.

XLVII. Corrosionem *undecimo* hic sæpius esse in  
vicio, neminem fugit: utpote quum illos quibus erosi  
sunt dentes, subinde de eorum dolore conqueri audia-

D

mus



mus. Sive quod aliquid ab assumptis alimentis in eos inciderit, & ibi derelictum corrumpatur molestiamque excitet: sive aliunde quid ad eos fuerit delatum. Exemplo hac in re sit ipse Forestus *lib. XIV. observ. 4.* Nec simplicem tantum erosionem dolor iste sequitur, sed virulentam quoque, quamvis minus ille interdum sit vehemens. Cujus à lue Venerea producti exempla nunc succurrunt tum apud Claudinum *cons. 123.* tum Amatium *cent. V. curat. 21.* Ad erosionem vero commode quoque referri potest fistulosum ulcus. Cujus illustrem historiam nobis conservavit Forestus *lib. XIV. observ. 7.*

XLIIII. Dentitionem *duodecimo* cum doloribus esse conjunctam, notum est. Nec id in infantibus solum puerisque, sed adultis quoque. Octuagenarijs genuinos non sine dolore prodiisse, jam Aristoteles notavit *lib. 11. hist. animal. c. 4.* Matronæ illi in Silesia sexagesimo quarto ætatis anno omnibus dentibus ab ortu primo amissis, coepit dolore caput & gingivæ tam atrociter, ut moritura putaretur, & præ doloris immanitate insaniam metueret, eousque, donec elapsis aliquot diebus dentes primores protruderet: cujus ex Sennerti *lib. 11. prax. p. 1. c. 10.* jam supra mentionem fecimus. Alia exempla adducere nihil attinet.

XLIX. Nec hic *tertiodecimo* præteriri forte debet quamvis plane insolitum, id quod Zacutus *lib. 1. prax. hist. cap. ult. observ. ult. p. 263.* de calculo supra dentem pronato scriptum reliquit. Operæ pretium fuerit propter raritatem verba ipsiusmet Zacuti hic recitare. *Quinquagenaria, inquit, catarrhosis fluxionibus obnoxia, biennio dolore dentium superiorum, in parte lava, ita quas*  
sata



*Sata est immaniter, cum faciei tumore insigni, ut mori potius veller, quam tam seivum tormentum tolerare, quo noctu premebatur magis. Illa in primo accessu se habere praegrandem tumorem supra dentes, fateatur libenter; à quo adeo pungebatur, ut vigilans tota nocte decumbere cogeretur. Rei novitate permotus, labrum superius elevare conatus sum, existimans, forte in gingivis adesse tumorem scirrhosum, à quo atiquando hac symptomata oriri consueverunt. Deus bone! tumorem detego, acu eum atrecto, durissimum, immo saxeum invenio, & à natura scirrhi valde dissimilem, qui ita eminebat, ut ovi mediocris adequaret molem, naresque sinistram occluderet, inspirationemque interciperet, cum esset levis, colore cineritius. Stupefactus voco socium chirurgum peritum. Hic solum ferro extrahendum esse sibi persuadit. Et ne ab humore glutinoso à cerebro descendente foveretur lapidosus humor, faeminam saepius expurgamus praeservationis causa. Hoc facto circum circa emollientibus decoctis per mensem usi sumus. Tandem forcipe dentato in hunc usum parato, lapidem apprehendit chirurgus, ita fortiter, ut reluctante faemina, ac caput in varias figuras magna cum vi concuriente, in duas partes fuerit divisus: qui ab omnibus accuratè inspectus, apparuit durissimus, solidus, & ad stateram appensus, binas cum drachmis quinq; uncias pependit. Quo omnino evulso dens apparuit integer, & quod mirandum est, nullo livore, aut labe faedatus: & agra à dolore imposterum immunis evasit. Hæc omnia Zacutus.*

L. Præter hæc quarto decimo ad hanc odontalgias causarum classem pertinent jactus, casus, ictus, percussio, contusio, quæque ejus generis similia sunt alia. Sed quum illa plane sint violenta & nimis manifesta, non est quod nunc seorsim magnopere veniant in considerationem.



LI. Sed & *decimo quinto* notum est, sono & stridore nonnullos ita offendi, ut dentium dolorem quendam percipiant. Puta quando vitrum aut metallum aliquod raditur. Id quod etiam quibusdam contingit, ubi acidum aliquem fructum ab altero comedi vident, immo simul ejus rei recordantur, præsertim sicubi sibi ipsis talis affectus quondam inde obvenerit.

LII. Veneficij *postremo* & incantationis mentio ne utiquam hic est prætermittenda. Quamvis enim vulgo illa vix soleant attendi, proculdubio tamen sæpius quam existimatur tale quid subest: in pertinacis cumprimis & nullis alijs remedijs cedente odontalgia, aut quæ & symptomatum sævitia & modo invadendi à communi more plurimum abit. Scilicet etiam huc omnino pertinet illud Amplissimi Præsidis *epistola prioris* ad Cl. Hieronymum Jordanum, elegantissimo ejus *de eo quod divinum est in morbis humani corporis* libro, præfixa: *Τὸ θεῖον in nullo non morborum genere frequentius delitescere, quam vulgò credimus: subesse autem non tantum quando συμπτώματα aperτὲ produnt ἰσχυρῶς ἢ vel vehementia sua vel ipsa specie, sed etiam quum videntur intra suos mali limites consistere, si optimis ex arte adhibitis remedijs non cedant, quibus aliàs solent curari.* Et vero huc pertinet cumprimis historia morbi sui, quam Joachimus Lægerus descripsit, operi autem suo addidit Hieronymus Jordanus.

LIII. COGNOSCUNTUR autem omnia hæc hæctenus enarrata certis minimeque fallentibus signis: quinimo pleraque statim semet ipsa produnt, nullo indicio altero egentia. Cujusmodi sunt differentia, quæ tum ad morem modumque, tum diuturnitatem



tem doloris pertinent. Item pleræque omnes causæ, præsertim externæ. Locus quoque affectus suo se indicio prodit, vel admoto digito facile potest explorari. Quapropter tantum de illis pauca adjungemus, quæ minus videntur esse manifesta.

LIV. Præcipua igitur quæstio hoc loco fuerit de humoribus, flatibus, vermibus. Et humores quidem an extra, an intra vasa, ad dentes ferantur. Hoc maxime eo innotescit, quod defluxiones extra vasa, sint sensiles, humorum vero intra vasa motus non percipiatur. Id quod jam ante notavimus. Caliditas porro & frigiditas semetipsa produnt, & contrarijs semper juvantur: calidi quoque humores solent vehementiorem dolorem inducere. Acrimonia eorundem acriorem quoque infert dolorem. Nam ut de singulis humorum speciebus seorsim adhuc aliquid addatur, non existimamus esse necessum. Sufficiunt enim nunc ista, & plura desideranti suggerent Practici, quos exscribere nolumus. Flatus maxime videntur celeri & subitaneo tum accessu tum recessu indicari. Suppuratio, in profundo cum primis delitescens, non statim ita certo dignosci potest: ferè tamen adesse solet pulsatio quædam. Vermes pruriginosum inferunt dolorem: quamquam nec id sit perpetuum; præsertim sicubi plures concurrerint causæ. Veneficium & incantatio ut ad causas maxime occultas pertinent, ita quibus indicijs deprehendi debeant, jam paulo ante fuit ostensum.

LV. Quæ his nonnulli subjungere solent, prædictiones & prognostica, nos non morabimur: partim quod ad præcedentium signorum classem potiori jure spectent, partim quod non ad odontalgiam, sed ejus



causata pertineant, partim quod à stridore dentium sint petita, qui cum eorundem dolore non sine manifesto errore confunditur. Eòque ne quidem illius Hippocratici effati, quo dentium dolor cum eorundem sphacelismo & febre ardente, lethalis esse pronunciat, rationem nunc habendam esse putamus: quandoquidem alium ejus esse sensum non dubitamus. Habet videlicet sese ita *Coac. apb. 237*: Ἐπὶ ὀδόντων σφακελισμῷ περὶ τὸς ἀπυκνόμενον σφοδρῶς, καὶ σφραγισμένη, ταναΐσιμον. Sideratio vero sive sphacelismus diversus utique est à dolore. Qua de causa quoque non attendemus febrim, epilepsiam, convulsionem, aliaque symptomata, quæ dentitionem infantum nonnunquam solent comitari: quod videlicet potius à causa doloris, quam dolore ipso dependeant: ceu modo generatim monuimus.

LVI. Illud tamen fortè huc quam maxime pertinet; illum dolorem dentium difficillime curari, qui circa radicem ipsam hæret: item antiquum, quique subinde recurrere solet: ut & eum, qui plures simul infestat, vel ipsam quoque maxillam simul affligit. Qui item oritur à defluxionibus in ijs qui defluxionibus perquam obnoxij sunt. Præterea tumor gingivarum aut genarum odontalgia superveniens bonus esse judicatur, quod nempe eo oboriente dolor solvi solet. Quamvis nec id esse perpetuum, & dolorem cum tumore magis fuisse auctum, ab alijs sit observatum. Plane vero huc pertinet id quod & Ballonius *lib. 1. Epidem. & Ephemer. p. 95.* observat: si dens vitiatus remaneat, dolores subinde recrudescere. Quod maxime quoque probat illustre exemplum apud Platerum *lib. 11. obs. p. 375.*

LVII.VI.



**LVII. VIDENDUM** nunc fuerit, quare illa superius adducta & tam varij quidem inter sese generis ita sese habeant, & apta sint dolorem dentibus inferre. Id quod paucis poterit expediri. Quæ videlicet aliàs doloris sunt causæ, & hic quoq; locum obtineant oportet. Pertinent autem omnia vel ad intemperiem, vel continui solutionem. Vtraque igitur & hic quoque fuerit in causa. Tametsi verò de singulis odontalgias procatarticas & antecedentibus causis cuius id facile possit constare, breviter tamen de ijs illud ipsum nunc exponere, non fuerit de nihilo. Ita enim ipsarum tractatio tanto fiet manifestior maximeque expedita.

**LIX.** Et quidem quare hæc vel illa pars, unus item vel plures dentes doleant, exponere, plane fuerit supervacaneum. Non potest videlicet non illa pars affici, quam causa dolorifica tangit. Quod ab omnibus verò non perinde omnes afficiantur, fit tum propter dentium ipsorummet robur, tum causæ dolorem cientis imbecillitatem vel depulsionem. Cur porro dolor non semper æque sit intensus, ejus rationem jam tum supra dedimus hanc, quod vel causa magis minusve sit fortis, vel pars etiam quæ patitur exquisitiori obtusioreve sensu gaudeat. Durationis denique vel diurnitas vel brevitatis à causæ præsentia unice dependet.

**LIX.** Jam à frigido quando producit odontalgia, dentium temperiem mutari palam est. Id quod & à calido contingit. Longe minus tamen à calido lædi dentes, non est mirum. Sunt enim illi impense calidi, ceu supra fuit ostensum. Ideoque à frigido maxime offenduntur, quod id illorum naturali temperiei plane ad-versetur.

**LX. Au-**



LX. Austerà & acida temperiem itidem dentium vitiando dolorem inducunt. Reddunt etiam dentes aliquomodo scabros & asperos. Videtur quoque ab eiusmodi rebus aliquid in dentium interiora penetrare. Id quod dolore inde nato non obscure probatur: utpote qui non in superficie solum sed in profunditate quoque dentium percipiatur. Dulcia procul dubio bilescunt, vel saltem calidam intemperiem inducunt: unde tandem quoque dentes erosionem patiuntur. Porrum vero & raphanus acrimonia sua insigni nocent, eodem fere modo. Pyrethrum autem calidam intemperiem multum auxit, utpote ipsum calidissimum. Aquæ demum fortis vis erosiva notissima est.

LXI. Vbi illius quoque ratio reddenda est, quare videlicet ab eiusmodi modo recensitis rebus dens exterior afficiatur, cum tamen violentas operationes sine doloris sensu admittat. Id quod ab homine expediri non posse Aretæus censuit. Procul dubio autem causa ejus nulla alia est, atque illa quam Falloppius toties in hoc negotio nobis merito suo laudatus in *Observationibus* reddidit, cujus verba digna sunt quæ adducantur, ita habentia: *Hinc est, (à membrana videlicet tenuissima, qua cavitas dentium linitur,) quod caloris & frigoris sensum habent; humidi autem vel sicci nullum, neque etiam solutione continui dolent, nisi hac ad membranam pertingat. Rationem puro hanc esse, quoniam duri aut mollis, aut sicci vel humidi qualitas statim non communicatur membrana, & ideo nihil sensus adest. At spiritus, qui in substantia dentium continetur, à calefacientibus aut refrigerantibus patiens, statim à parte post partem alterationem membranae communicat, & inde sensus fit, quia membrana patitur.* Ar in soluta



*lata unione, in attritione & collimatione, eum nil patitur  
membrana, nullus dolor aut sensus adest. Haftenus Fal-  
loppius.*

LXII. Humores porro cujuscunque generis & quacunq;ue via allati eodem modo obsunt: praesertim si inflammatio quoque inde oboriatur. Qui si insuper fuerint acres, erodendi etiam vim habent. Flatus distensione & vellicatione membranæ dentem interius succingentis molesti sunt. Id quod vermes faciunt pungendo & mordicando; sive intra dentium radicem delitescant, sive exterius in gingivis. Suppuratio quæ hoc faciat, ut & corrosio, ex adductis jam patet. Tantum id mirum cui queat videri, quod aliquando corrosionem quandam dentes patiantur, cum obtuso potius quam exquisito dolore; ceu fit in lue venerea. Verum idà malignitate humoris osseam præcipue substantiam lentè corrodentis, extra controversiam provenit.

LXIII. In dentitione solutionem continui eamque insignem fieri, omnes norunt. Unde dolor necessariò tanto magis augetur, quanto plures vel robustiores dentes prodierint, aut maxillæ fuerint duriores: accedente insuper plerumque calida totius oris & cum primis maxillarum intemperie. Lapis Zacuto memoratus quæ dolorem induxerit, ex ipsius historiæ superius enarratæ consideratione patet. Tumorem videlicet inducendo maxime fuit molestus: qualis absque intemperie non potuit adesse. De causis violentis non est quod quidpiam in re omnibus notissima addamus.

LXIV. Stridor quomodo dentes afficiat, longe subtilioris & altioris est indaginis. Optime videtur rem explicasse Fracastorius *lib. de sympath. & antipath. c. 14.*

E

cujus



cujus hæc sunt verba , hic legi dignissima: *Si sonus ingens ipse sit, commotat organum propter circulationes aëris, tum & virtutem dissolvit, & applicationem tollit, unde & confundi animam accidit & terreri. Similiter & si acutus valde sit sonus, & stridulus, applicatio vim patitur, quasi in angusto facta. Tum & membrana auditus quasi icta offenditur: unde & contrahitur repente, ac cum ea simul & nervuli quidam usque ad radices dentium. In quem locum subito incidens novus aër horrorem quendam circa dentes facit. Hæc eleganter vir ille acutissimus. Memoria vero talis rei sine dubio phantasiam movet, unde vicissim sensus moventur & afficiuntur. Veneficiorum & incantationis denique ratio nobis plane abdita est, quum vi supranaturali agant. Absque dubio tamen in humorum commotione & intemperie inducendâ omnis illa consistit. Immo sæpe solis naturalibus causis abutuntur maligni genii: cujus ratio quoque propterea magis est manifesta.*

LXV. Ex prognosticis aliquid addendum est de tumoribus, quibus odontalgia supervenientibus eam tolli affirmavimus. Indicio videlicet id est, humores tum dente derelicto ad illam partem in quâ tumor colligitur esse delatos. Sicut ex adverso illorum copiosorem affluxum arguit, quando eo oboriente odontalgia non cessat vel etiam increscit. Reliquorum ratio quum satis sit clara, non est quod eis immoremur.

LXVI. SUPEREST ut quomodo malo huic opitulandum sit, adjungamus. Id quod pro causarum varietate diversimode quoque debet institui. Nec tamen ut omnes nunc rursus attendamus necessum est, sed potiores duntaxat. Quæ enim à frigidis, præsertim si  
sine



sine materia sint, exempli gratia, producta est odontalgia, eam calidorum applicatione tolli per se patet. Par ratio est multarum aliarum causarum. Quarum quibusdam quoque recedentibus, dolor sponte desinit & cessat.

LXVII. Hæmodia igitur sive stupor dentium tollitur præ omnibus aliis portulaca recenti, eaque vel masti-  
cata, aut succo ejus expresso, addito nonnihil salis. Com-  
mendantur item panis recentis medulla, ovi vitellus coctus  
& induratus, amygdalæ & aliæ nuces, lac, caseus recens,  
glycyrrhiza. Nonnulli pannum laneum dentibus interpo-  
nunt & masticant: quo tamen plerumque dolor magis  
exacerbatur.

LXVIII. Humores ut quam maxime solent esse in  
culpa, ita quoque majorem curationis partem occupant.  
Et ad calidos quidem profunt albumen ovi, rosa, viola, lactu-  
ca, endivia, portulaca, nymphæa, lenticula palustris. Lac  
item muliebre, caprinum, vaccinum, asininum; ut & oleum  
rosaceum, violarum, nymphææ. Quibus addi potest ace-  
tum rosaceum: nisi erosio adsit aut ulcus: tum enim do-  
lor inde ob aceti acrimoniam magis exasperatur. Conve-  
nit etiam mucilago seminis cydoniorum cum aqua rosacca  
elicita. Item foris admota farina. Quæ omnia quoque  
conducunt in inflammatione & acris humoribus, ipsaque  
adeo corrosione.

LXIX. Si à nimiâ sanguinis in dentes ruentis co-  
pia proficiscatur odontalgia, eadem quidem ad caloris  
fervorem contemperandum possunt usurpari. Nihil  
tamen æque juvat quam venæsectio. Quin reliquis o-  
mnibus & anodynis quoque in cassum usurpatis sola il-  
la & subito quidem dolorem tollit. Id quod ante annum  
in me ipso sum expertus, ut alienis exemplis non sit opus.



in quo casu scarificatio quoque insigniter usurpatur, ceu  
vel unicum exemplum apud Forestum *lib. XIV. observ. 6.*  
*in scholio* docet. Juvare porro tum & arteriotomia pote-  
rit. Qua de quid observaverit Joannes Riolanus *lib. 4.*  
*cap. 5. Anthropographiæ*, operæ fuerit pretium hic addere.  
Notandus (inquit) *diligenter surculus à carotide deductus, qui*  
*auris antitragum perreptat, maxillam superiorem irrigaturus,*  
*ut singulis dentibus spiritum vitalem suppeditet* Per eum ra-  
mum fluxionem in dentes fieri puto, quoniam eo resecto miracu-  
li instar sedatam vidi odontalgiam, propter com meatum serose  
& acris humoris interceptum. Per Arteriam certe fieri af-  
fluxum sanguinis, certum est. Quo pertinet illud à Val-  
leriola *l. s. obs. 3* observatum: avulso dente ex arteria sub-  
strata uberrim sanguinem fluxisse, ut rivulus è fonte ma-  
nans videretur.

LXX. Adversus frigidos & pituitosos humores  
potissimum laudantur ruta, pulegium, calamentha, origa-  
num, ferpillum, hyssopus, staphisagria, pyrethrum, ga-  
langa, radix acori, cinnamomum, piper, caryophylli. Vi-  
num porro generosum, ut & ejus spiritus, theriaca, mithri-  
datium. Item oleum anethinum, costinum; laurinum,  
juniperinum, petræ. Sacculi quoque ex milio & sale ca-  
lecto utiliter genis adhibentur. Quæ ad flatus quoque  
maxime conducunt. Nec aliud voluit Crato, dum com-  
mendat decoctum herbarum calidarum cum vino, item  
theriacam dissolutam cum vino, & calide adhibitam.  
Cum primis verò observandum, num humorum defluxio-  
nes fiant extra aut intra os. Pro ejus enim defluxionis di-  
versitate topicorum usus variat.

LXXI. Ad vermes varia commendantur, quæ  
cum apud alios tum Sebizium *part. II. manual. medic.*  
*pract.*



*pract. s. 4. c. 14.* recensentur. Præcipue commendantur spiritus vitrioli, salis, sulphuris, vini: ut & camphora. Suffitus ex semine hyoscyami jam supra mentionem fecimus. Circa quod tamen notandum, ut quantum fieri possit in ejus usurpatione caveatur, ne in caput penetret; utpote quod inde valde solet perturbari. Ad dunt autem nonnulli suffimento isti propolidem sive ceram virginalem. Narravit mihi clarissimus Voglerus, avi sui famulam in immani odontalgia, multis aliis frustra adhibitis, tandem ex cujusdam consilio admovisse mucum ventriculo porcino interius adhærentem calentem adhuc, unde mox insignis vermis fuerit provocatus.

LXXII. Si à suppuratione dolor promanat, pleraque alias laudata vix locum inveniunt; ideoque tum ad extractionem dentis fuerit deveniendum. Cujus generis exempla jam supra sunt adducta. Solent quidam tum in hac causa, tum in defluxionibus, perforare dentem. Sed quod parum sæpe prodest, & non potest non multa alia incommoda adferre: quapropter illud nobis vix probatur.

LXXIII. Nec tamen ad extractionem temere & statim est deveniendum. Relinquitur enim ea morbus in numero: ne quid de aliis incommodis inde plerumque profluentibus dicamus. Præterea caute admodum in ea operatione sese gerere debet chirurgus. Annotavit Highmorus *disquisit. anat. lib. III. part. II. c. 2.* generosæ cuidam foeminæ, cui à ferina ad dentes destillatione omnes pene dentes corrosi & carioli evulsi erant, tandem dente canino sinistri lateris effosso simul squamosam distinctionem fuisse ereptam, unde perennis humorum



destillatio. Simile exemplum de maxillæ parte simul avulsa adducit Forestus *lib. XIV. obs. 7. in schol.* Hollerius *observ. 31.* Bartholinus *cent. V. hist. 54.* alii. Ante aliquot annos hic quoque viro cuidam honorato pars maxillæ per incuriam chirurgi, aut quod dens maxillæ fuerit concretus quodammodo, simul fuit effracta, unde fistulosum ulcus fuit prognatum, quod tandem ipsa mors insecuta est. Aliàs quoque periculosa quandoque hæmorrhagia, maxilla licet illæsa, excitatur. Refert idem Highmorus *anacephalæosi circulat. sang. pag. 260.* in quodam Shaftburiensi sanguinis maximam copiam ad mortem usque ex dente evulso emanasse. Similiter etiam huc quam maxime pertinet illud observatum Cardani *lib. de caus. sign. ac loc. morb. par. III. cap. 60. pag. 155.* de duobus eruto dente ex hæmorrhagia occumbentibus. Quid, quod in ipso dolore fieri per errorem possit, ut dens sanus educatur pro illo qui laborat? Quale quid contigisse ex Amplissimo Præsidi accepi: errore tamen correcto subitâ evulsi dentis in vacuum alveolum repositione, & hoc feliciter iterum ibi excepto in complures annos. Veteres igitur, sine dubio ad pericula ejusmodi respicientes, dentiducum plumbeum in templo Apollinis Delphici consecraverunt. Quod ex Cœlio Aureliano annotaverunt Forestus *l. cit.* Reinesius *lib. III. var. lect. p. 538.* Bartholinus *l. c.* Quibus addimerentur quæ scribit Joannes Riolanus in *commentario de Ossibus cap. 11.*

LXXIV. In dentitione unice danda est opera, ut dens quantocyus prodeat. Ad quod accelerandum potissimum commendantur cerebrum & pinguedo leporis. Sæpe tamen tum his, tum aliis nihil proficientibus



tibus, gingivæ & maxillæ scarificatio vel incisio & pertu-  
sio debet adhiberi, ut dens exitum inveniat, qui à maxillæ  
duritie ipsi denegatur. Id quod Vesalius in semetipso  
expertus, unice faciendum suadet *lib. 1. de hum. corp. fabr.*  
*cap. 11.* Quod proinde cum neglectum esset in Ducis Ni-  
vernensis octimestri puero, mortem ei inde conciliatam  
observavit Paræus *lib. XXIII. cap. 67.*

LXXV. Veneficia & incantatio si cum naturalibus  
causis sint complicata, eodem modo curatio instituenda  
est, quo aliàs in talibus affectibus fieri par est. Sin vero  
plane sit supranaturalis, naturalibus etiam remediis adver-  
sus eum dolorem nihil potest effici. De tumoribus odon-  
talgiam vel concitantibus vel excipientibus non est ut quic-  
quam addamus. Quomodo enim illis sit obviam eun-  
dum, aliunde constat.

LXXVI. Quod si porro his nihil potest præstari,  
ad opiata fuerit procedendum. Quæ tamen impruden-  
ter adhibita, damnum potius dant quam juvamentum: im-  
mo sæpe frustra quoque ad ea confugi, ipsemet in me sum  
expertus.

LXXVII. Sunt vero quædam adhuc vulgò ad omnis  
generis dentium dolores maxime commendata, quæ cum  
alii, tum cum primis & diffuse quidem Joh. Stephanus Stro-  
belbergerus *lib. de dentium podagra*, succincte vero Sebizius  
*part. II. manual. medic. pract. s. IV. c. 15.* collecta exhibent, de  
quibus non est quod nunc simus solliciti. Ex omnibus  
autem illis nihil fere est usitatus camphora & caryophyllis  
eorumque oleo, spiritu item vini. Sed tamen gravissime  
peccaveris, si in omni promiscue odontalgia hæc velis  
usurpare.

LXXIIX. Forestus *lib. XIV. obs. 5. in schol.* valde  
laudat unguentum alabastrinum, & *obs. 6.* radicem la-  
patii



parij acuti : ubi ab alijs præcipue usurpata refert folia lappæ, radices plantaginis & hyoscyami. Oleum vitrioli præ omnibus alijs extollit Franc. Joël in *practica* : quod tamen (ut & alia illa) promiscue non poterit usurpari, cum dentes ab ejus frequenti usu vel corrosos vel etiam mobiles redditos fuisse constet. Alumen nihil aliis proficientibus salutare expertus est in semetipso Bartholinus *cent. V. hist. 54.* Juvit aurem procul dubio tantum inhibendo impetum defluxionis & quidem calidæ. Pinguedinem ranæ viridis alii laudant : sed cujus vim nullam ipsemet potui percipere. Semen quod appellatur ranarum potentius est, in causa præsertim calida.

LXXIX. Nivis denique mentio hic non prætereunda : quam in odontalgia à calida causa, jam tum veteres usurpasse constat ex Adamantio apud Aëtium *tetrab. 11. serm. IV. c. 27.* Cujus beneficio pertinacem odontalgiam curatam in milite quodam strenuo observavit Zacutus *lib. 1. de medic. princ. hist. observ. 46.* Quibus alia exempla addidit Bartholinus *lib. de nivis usu cap. 25.*

LXXX. Coronidis loco unum & alterem exemplum insolentis curationis libet subjungere. Prius supeditat Cardanus *lib. 11X. de rer. variet. cap. 44. p. 572. edit. Basel. minoris,* ita scribens : *Nuper cum hæc scriberem dolor acerbissimus duos ultimos maxillæ sinistrae superioris dentes vexabat : unde consensu quodam, & alios omnes superiores ejus partis dentes affligebat, & maxillam totam adeò ut os excuti videretur : tum etiam oculum & aurem, & nasi partem eandem vehementer urgebat, nec ullo auxilio abscedebat, sed intermittens quandoque, revertebatur. Dextra manu dentes apprehendebam, distrahebam, nihil proficiebam.*



*bam. Tandem casu aliquo inveni, quod ubi sinistra manu levi-  
ter apprehendissem dentem qui magis vexabatur, ita ut pollice  
partem exteriorem, indice interiorem comprehenderem, statim  
non solum dolor illius dentis, sed & totius partis sedabatur.  
Illud vero mirabilius, quod quanto lenius rangebam, tanto  
celerius ac perfectius dolor sedabatur. Fiebat autem sedatio  
hac confestim: & hoc cum rediret dolor, saepius plus quam  
vicies sum expertus, donec sic sponte abscessit, & liberatus  
sum. Forte læva manus, Cardano ipso inscio, opiato  
aliquo fuit infecta. Posterius exhibet Baldassar Ti-  
maeus von Guldensee lib. 1. cas. medicinal. 42. opere nu-  
perrime divulgato his verbis: Nobiliss. Balthasar Richar-  
dus Froreich, ultra semestre dentium dolore interpolato &  
per intervalla recurrente miris modis vexabatur. Tentata  
varia remedia tam externa quam interna, sed frustra. Su-  
binde enim recruduit dolor. Tandem inter acerbissimos cru-  
ciatus plorare cepit adeo effuse, ut ultra horam à fletu sibi  
temp rare non posset. Exinde dolor penitus remisit, absque  
ulla in hunc usque diem recidiva. Videtur autem hoc qui-  
dem accidisse, propter humoris defluentis à dentibus ad  
oculos diversionem.*

LXXXI. Restaret diæta. Sed cum quæ condu-  
cibilia, quæ fugienda hîc sint, per sese satis sit manife-  
stum; non est quod de ijs vel verbum addatur, & pro-  
inde hic merito dissertationi huic nostræ im-  
ponimus finem.

T.      ⊖.      Δ.

---

Errata benevolus lector ita corriget. Th. II. X. lin. 4.  
legendum <sup>ל</sup>בטל lin. 5. תשבי lin. 15. כִּי מֵעַטּוֹ Th. X. lin. 6.  
lege corporis.

F

IN



IN  
DOCTISSIMAM DISPUTATIONEM  
INAUGURALEM  
DE  
NATVRA ET DOLORE  
DENTIVM

*Eximii Viri*

DN. FRIDERICI HEYEN, Holsati,  
Domestici, Convictoris, & Amici  
dilectissimi

Hendecasyllabum.

**D** E scribis calamo disertiore  
Certantes ebori nitore dentes,  
Horumq; intolerabiles dolores,  
Non fallente ope temperare monstras,  
Vel certo auxilio doces fugare,  
Donis ingenii benignioris  
Et cultu studiorum, Amice, prestans!  
Seros qui facili manu dolores  
Tollis vel mitigas, parumne, honores  
Æquum est, ut meritos brevi capeffas?  
Hos magnus tuus ille Doctor, ille,  
Cujus divite copia fluentes  
Doctrinae latices diu bibisti,

*Felix*



*Felix TAPPIADES necessitatem  
Fatorum illachrymabilem morari:  
Hos CONRINGIVS, ille, vestram in arte  
Cui nemo similis vel est secundus,  
Largum illud pelagus scientiarum:  
Hos VOGLERVS, & ipse cura Phœbi  
Nec parvum medici decus senatus:  
Decernunt Tibi jure conferendos,  
Dentes invidia nigri ut stupefiant.*

GERHARDUS TITIUS D.

---

Ad eundem Dn. Candidatum,

amicum suum carissimum,

VALENTINVS HENRICVS VOGLERVS.

**T**alibus instruxit dentes natura creatrix  
Dentibus, atque ingens sic dolor urit eos.  
Parvus mole liber. Sed multa recondita pandens,  
Magnaque complexus sub brevitare sua.  
Dente Theonino quisquam hæc si rodere tentet,  
Infirmitas robur sentiet esse sibi.  
Sic pergas, olim patriæque salutifer adsis,  
Et morbis pressos dextera restituat.

Ad



*Ad Eruditissimum*

DN. FRIDERICVM HEYE,  
pro impetrandis Artis Medicæ summis Honoribus  
DE ODONTALGIA  
solennem Disputationem publicantem.

**E**Rgo age, quod teneris dudum es meditarus ab annis,  
Quod vigiles noctes, quod meruere dies;  
*Perfice. Quam densis sit Virus obsita spinis,*  
*Te docuit mediis Cimbrica Pallas aquis.*  
*Sæpe quidem multis ridebant prava; sed intus*  
*Adfiduum Phæbi Te macerabat opus.*  
*Sed jam mellifluos fructus decerpe laborum:*  
*Ardua si virtus, Gloria major erit.*  
*IULIA primitias Tibi confert nostra; sed ipse*  
*Mox caput ornabit Phæbus Apollo Tuum.*  
*Noscimus, ut ferzur, generosum ex ungue leonem:*  
*Quid verat & Medicum noscere Dente bovum?*

*l. m. deproperabat*

SAMUEL RACHELIUS  
Phil. Mor. PP.

F I N I S





01 A 6559

ULB Halle

3

002 936 151



Sb.

Vb 17









DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
NATURA ET DOLORE  
DENTIVM

QVAM  
D. O. M. A.  
IVSSV ET AVCTORITATE INCLVTI  
MEDICORVM IN ILLVSTRI ACADEMIA  
IVLIA ORDINIS  
PRÆSIDE

VIRO AMPLISSIMO ET CLARISSIMO  
DN. HERMANNO CONRINGIO  
PHILOS. ET MEDICINÆ DOCTORE,  
Hujusque & Politices Professore publico longè celeberrimo,  
Facultatis Medicæ hodie spectabili Decano, nec non Sereniss.  
Brunsvicens. & Lyneburgens. Ducis atque Illustrissimi Ostfrisiæ  
Principis Consiliario intimo, &c.

Dn. Patrono, Præceptore ac Fautore omni obser-  
vantia cultu venerando,

PRO SUMMIS IN ARTE MEDICA HO-  
NORIBVS ET PRIVILEGIIS DOCTORA-  
LIBVS IMPETRANDIS  
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS  
IN MAGNO IVLEO  
Ad diem XXX Octobris A. LXII.

PUBLICO SOLEMNIQVE EXAMINI SVBICIET  
FRIDERICVS HEYE HOLSATVS.

HELMESTADII

Excudebat HENNINGUS MULLERUS Acad, Typogr.  
CID ID C LXXII.

